



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Theologica, Ad Mentem S. P. Avgvstini, De
Radice Intolerabilivm, scandalosarum, & in praxi
perniciosarum propositionum, à summis Pontificibus
Alexandro VII, & Innocentio XI. damnatarum**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1679

De copula cum conjugata, consentiente marito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38917

sequatur, quâ major in corporeis voluptatibus nulla est; ita ut momento ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, penè omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruatur.

Ex his satis constat, quod tam mollicies quam fornicatio secundum Augustinum non solum sic mala, quia lege positiva prohibita est, sed etiam intrinsecè & secundum se.

Quinquagesima.

Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Doctrina S. Augustini opposita.

Secundum doctrinam sanam mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. --- Si autem mortuus, hoc est de corpore exierit, evacuata est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. ----- Hac verba Apostoli toties repetita, toties inculcata vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse deserit. lib. 2. de adult. Conjug. cap. 4. Et ibidem cap. 9. Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Ergo consequenter, & vir alligatus est, quamdiu mulier ejus vivit. Hac alligatio facit, ut aliis conjungi sine adulterina copulatione non possint &c. Sed dum habetur copula cum conjugata consentiente ejus marito, vir vivit, & illa manet ipsi alligata; ergo vocanda est secundum Augustinum adultera, & copula ista est adulterium. Confirmatur ex lib. de fide & oper, cap. 7. ubi S.

Pater

Pater ait : In civitate Domini , in monte sancto eius , hoc est in Ecclesia , nuptiarum non solum vinculum , verum etiam Sacramentum ita commendatur , ut non liceat , viro uxorem suam alteri tradere : quod in Republica Romana non solum minimè culpabiliter , verum etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. Neque hinc diutius modo disputare opus est , cum illi , quibus respondeo , non audeant affirmare , nullum hoc esse peccatum , neque negent , esse adulterium ; nè ipso Domino , sanctoque Evangelio aperte convincantur obsistere &c. Sed propositio damnata negat esse adulterium ; ergo non solum S. Augustino , sed ipsi Domino , sanctoq; Evangelio obsistit. Dices : S. Augustinus , postquam L. 22. cont. Faust. c. 36. egerat de facto Abrahæ , qui pro vitæ conservatione occultavit se esse maritum Saræ ; movet c. 37. dubium : *Utrum illius mulieris pudicitia violaretur , etiamsi quisquam carni ejus commixtus foret , cum id in se fieri pro mariti vita , nec illo nesciente , sed iubente permetteret* --- sicut ille adulter non fuit , quando uxoris obtemperans potestati de ancilla prolem generare consensit. Idem dubium movet l. 1. serm. D. in monte c. 16. Respondeo cum Hauzeur tom. 2. Anatom. doctrinæ August. in cit. c. 16. S. Patrem de hoc non dubitasse , secundum legem gratiæ & Sacramentum matrimonii , & secundum legem naturæ quoque capit. cit. contra Faustum resolvisse negativè , ait enim : *propter vim principiorum , quia non ita duobus viris femina subditur ; sicut dua femina uni viro : multò verius & honestius illud accipimus. Id est , non licere.*

Adde canonem 70. Concilii Illiberit: *Si conficio marito, & ipso consentiente fuerit uxor mœchata, placuit nec in fine eis dandam esse communionem, si verd eam reliquerit, & separati fuerint, & dignè pœnituerint, post decem annos accipiant communionem.*

Propositio quinquagesima-sexta,

Frequens confessio & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

De ipso autem cursu vestro bono, rectoque condiscite, vos ad prædestinationem divina gratiæ pertinere. lib. de don. persev. cap. 22. Sed cursus eorum inveteratorum consuetudinariorum, qui instar gentilium vivunt, non est bonus, neque rectus; & consequenter non est nota prædestinationis; sed potius reprobationis, imo est nota, quod confessiones & communiones eorum sint sacrilegæ, etsi interdum à parte rei detur in illis dispositio sufficiens scrutatori cordium Deo tantum nota.

His adde illud hom. 50. c. 5. *Salutem Deus promissit perseverantibus in charitate, non in iniquitate, ubi autem charitas est, opera illa mala à regno Dei separantia esse non possunt.* Sed consuetudinarii illi gentiliter viventes non dant signa perseverantiæ in charitate; sed in iniquitate, hominibus, qui de exterioribus judicant; ergo frequens eorum confessio & communio non est nota, quod sint ad salutem prædestinati, sed potius ob perseverantiam in iniquitate reprobati, & damnandi.

Sexage-